



## The Holy See

---

**EPISTULA IOANNIS PAULI PP. II**

**RADULFO S. R. E. PRESBYTERO CARD. SILVA HENRÍQUEZ** Proximum vitae tuae honorificum sane beatificumque eventum, ordinationis episcopalnis tuae vicesimam quintam memoriam anniversariam, praeterire omnino nolumus quin fratrem hanc tibi salutationem ac fervidam simul gratulationem tradamus per litteras una cum iusta aestimatione eorum quae pro Christi amore Ecclesiaeque progressionē effeceris tum uti Episcopus Vallis Paradisi tum plus viginti annos in munere Ordinarii Sancti Iacobi. Eodem autem tempore Dominum messis custodemque pastorum precamur ut dies tuos exhilaret ac praesertim, hic data optabili opportunitate, animum tuum confirmet et consoletur ex recordatione operum tuorum in vinea Eius absolorum necnon meritorum quae tibi hoc per temporis actuosi spatium cumulavisti. Gratulantis denique mentis Nostrae testem de commemoratione episcopatus tui primordiorum conciliaticemque simul praemiorum copiosorum a miserenti Redemptore transmittimus libentissime tibi Apostolicam Nostram Benedictionem.*Ex Aedibus Vaticanis, die IV mensis Octobris, anno MCMLXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.***IOANNES PAULUS PP. II** © Copyright 1984 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana